



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Mariæ monasterium Wormaciense, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

37. *Joannes de Cellis*, oppidulo Treuerico natus, eligitur anno Domini 1526. Valedixit mortalium consuetudini anno 1544. cum 18. annis monasticam hanc gubernationem tenuisset
38. *Petrus Alfius* designatur Abbas anno 1544. Præfuit annis tribus & mensibus sex. Obiit anno 1547. ipsa die Valerii.
39. *Joannes à Kobern* eligitur in die S. Agathæ anni Christianorum 1547. Præest adhuc currente hoc Jubilæo.



MARIE monasterium Wormaciense, quod vulgo Nonnarum monasterium appellari solet & in suburbio Wormaciensi situm est, ordinis olim D. Benedicti, hodie vero Cisterciensis instituti, fundatum legitur pro puellis perpetuæ virginitati dicatis anno Christi 840. sub Samuele, Episcopo Wormaciensi, ab optimo Imperatore Ludovico Pio, Caroli Magni filio, ut testatur distichon illud templi foribus incisum.

*Claustri fundator Ludovicus Induperator,
Princeps egregius: cui det Deus arce poli Jus.*

Wallenberg.

Inchoatum erat primum in Wallenbergo, Vangionum urbi vicino monte, ex quo tandem urgentibus rebus in Vangionense suburbium translatum est. Abbatissas hujus loci veteres præter hanc subscriptam nullas reperi.

1. *D. Mathilda* vel *Mechtildis*, S. Burcardi Wormaciensis Antistitis germana soror ingeniosissima & laudatissima, Benedictini instituti professor, sedit ad clavum Abbatissæ ante & post annum Christi 1025. Post ejus obitum licentiosius & liberius vivere cœperunt moniales hujus loci, quæ abjecta omni pietatis cura, otio potius & epicurismo, quam sacris vel Christianismo, studebant. Iccirco quæ Abbatissæ huic Dominæ successerint, in literas non est relatum usq; ad tempus introductæ reformationis, quæ auctore Wormaciensi Episcopo, Landolfo, nobili heroe ab Hohennek, in choro hujus cœnobii decenter humato, cœpit anno Domini 1240. Ab eo tempore præfuerunt Abbatissæ ad hoc nostrum usq; seculum, quæ sequuntur.

2. *D. Agnes*, prima Cisterciensis in Nonnarum hoc monasterio Abbatissa constituitur anno Domini 1240. ab ipso Episcopo

po

po Vangionum Domino, Landolfo. Præfuit 14. annis. Obiit Kalend. Aprilibus anni 1254.

3. *D. Jutta* successit Agneti. Præfuit summa cum laude & pari etiam felicitate annis 43. Decessit ex lugubri hoc seculo in die S. Joannis Baptistæ anno Domini 1296. Humatur in medio virginum choro.

4. *D. Jutta*, secunda hujus nominis, successit primæ. Sedit ad gubernaculum gynæcii hujus monastici annis 38. Obiit anno Christi 1334. Sepelitur in ambitu.

5. *D. Anna* successit Juttæ secundæ. Gubernavit Abbatiam sibi creditam per annos 12. Valedixit mortali vitæ septima Id. Octobr. anni 1346. Humatur honorifice in ambitu vel testudinata Ecclesiæ porticu.

6. *D. Christina*, nobilis virago de Wechenheim, Henrici militis & Adelheidis filia, eligitur in Abbatissam anno 1346. Præfuit annis 19. Obiit 13. Kalend. Maji, anno Christi 1365. Sepelitur honorifice in media Ecclesia.

7. *D. Margareta Kettenheimerin* præfuit post obitum Christianæ 39. annis. Obiit anno Domini 1404. in die S. Martini. Sepelitur in ambitu.

8. *D. Barbara* successit Dominae Margaridi. Præfuit annis 12. Obiit anno 1416.

9. *D. Liba Guldenringin*, ab aureo annulo cognominata, Wormaciensis civis cujusdam præpotentis honesta & laudabilis filia, accepit clavum virginei coetus anno 1416. Præfuit summa cum laude annis 38. Fecit sua ætate claudi coenobium & ab omni virorum congressu muniri. Obiit anno 1454. Sepelitur decenter in choro inferioris Ecclesiæ ante aram maximam.

10. *D. Elisabeta*, nobilis herois de Lindenfels, sequitur Dominam Libam. Præfuit annis 28. prudenter & utiliter. Obiit anno Domini 1482. tertia Kal. Martii. Sepelitur in choro Ecclesiæ.

11. *D. Catharina* Moguntina præfuit annis 18. Obiit anno 1500. decima Kalendarum Julii.

12. *D. Margareta Creutzbergerin*, è Francofurto Moeni nata, præfedit coetui puellari huic annis 6. & excessit è vivis anno 1506.

O o 3

13. *D. Apol-*

Umst. ad. 13. *D. Apollonia Lupoldina*, ex *Umstado*, oppido *Aschem-*
burgensi civitati vicino nata, successit *Dominæ Margaretae*.
 præfuit annis 25. Obiit in vigilia Pentecostes anno Domini
 1531. in superioris *Rhetiaë* thermis *Amasiacis*, ad quas ægrota,
 recuperandæ valetudinis ergo, concesserat. Vehitur inde ad
Erbach,
Cœnob. *Erbachianum* cœnobium in *Ringoviam*, ibiq; honorifice sepe-
 litur. Ejus enim loci Abbas supremus visitator est monialium
 hujus congregationis.

14. *D. Margareta Halbquertina*, *Wormaciensis*, constitui-
 tur in locum *D. Apolloniae* defunctæ. Præfuit annis 12. Obiit
 anno Christi 1543.

Corneus
Sifridus,
hörn
Seyfrid. 15. *D. Elisabetha Heerdina*, ex *Francofurto Moeni* honestis
 parentibus nata, eligitur statim eodem anno, quo prædicta de-
 cessit. Hæc isto adhuc currente Jubilæo feliciter & laudabiliter
 præest, humanissima & optima *Dominæ*. Sunt in hujus cœno-
 bii vicinia duo sacella, non procul à se invicem distita, quorum
 unum *S. Meinardo*, alterum *D. Cæciliæ* dicatum est. In medio
 horum sacellorum & interiacente spatio humatus dicitur *Cor-*
neus Sifridus, *Vangionum* urbis *Gigas* stupendæ altitudinis &
 roboris admirandi, de quo extat hodie adhuc poëma quoddam
 Germanicum *der hörnin Seyfrid* inscriptum. Tumulus duo-
 bus è terra prominentibus saxis notatus, ter à me dimensus, ha-
 bet in longitudine pedes quadraginta quinque. Lancea hujus
 Gigantis ostenditur in summo templo urbis *Vangionum*. *Maxi-*
milianus Imperator, antiquitatum omnium studiosissimus Prin-
 ceptus, cum anno 1495. comitia *Wormaciæ* celebraret, aperiri &
 effodi tumulum jussit, sed præter aquas nihil in eo invenit.

MARTALENSE COENOBIVM ordinis Præmonstra-
 tensis ad dextram Danubii, è Suevia descendens, inter
Riedlingum & *Ehingum*, præclara *Austriacæ* domus oppida, in
 firmissima rupe situm ac magnificis ædificiis conspicuum, ex
Canonicorum collegio in monasterium conversum, & quasi de
 novo fundatum & dotatum est in honore principum *Aposto-*
lorum Petri ac Pauli anno Domini 1171, ab *Hugone III. Pala-*
 tino